



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Cognitione Dei - Quanti nimirum momenti illa fit, & quibus
praesidiis obtineri ab unoquoque hominum possit

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Caput XVIII. Quàm excellenter commemoratæ hactenus Dei perfectiones
singulari comprehendantur eo nomine: Ego sum, qui sum, quod ipsemet
sibi attribuit: deque duobus aliis nominibus, quæ & ipsa ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54487](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54487)

psisse ; quantò certiores sumus , non posse te
ditiorem , magisque perfectum , ac beatum e-
vadere , quàm ante hoc nostræ servitutis ve-
ctigal semper fueris , & etiam sinè illo semper
porrò esses futurus.

CAPUT XVIII.

Quàm excellenter commemo-
rata hætenus DEI perfectiones
comprehendantur singulari eo nomi-
ne ; *Ego sum , qui sum* , quod ipsemet sibi at-
tribuit : deque duobus aliis nominibus , quæ
& ipsa proprio magis jure eidem conve-
niunt , nempe *bonum , & totum*.

Riusquam ad reliquas perfectiones
divinas progrediar , quæ secun-
dum nostram intelligendi ratio-
nem magis determinatæ , & certi
alicujus generis sunt ; non abs re existimo ,
summam colligere , & uno sub aspectu intu-
endas proponere , quas hucusque explicavi ,
quæque velut generales quædam prærogativæ
suam reliquis omnibus denominationem im-
pertunt : perfectiones nimirum entis increa-
ti , necessarij , æterni , infiniti , simplicissimi ,
&

& omnino immutabilis : ostendendo , quàm perspicuè contineantur omnes in singulari , nec audito aliàs nomine , quo ipsemet DEUS quodammodo se definiit , dum , rogatus à Moyse , quonam nomine apud Judæorum populum vocari vellet , respondit , (*Exod. c. 3.*) *Ego sum , qui sum : sic dices filiis Israël , Qui est , misit me ad vos.* Ipsum *Esse* aptissima significatio mei est. Vocor , *Qui est* : Hæc mea peculiaris natura est , hoc verum propriumque meum nomen , hoc illud , quod præcipuè inter omnia de me sciri , & exprimi potest. *Non dixit* , (commentatur D. Augustinus) *Dominus DEUS* , ille omnipotens , misericors , justus : quæ si diceret , vera diceret : verùm , sublati de medio omnibus , quibus appellari potest , & dici DEUS , ipsum esse se vocari respondit , & tanquam esset ei nomen ; *Hoc dices , inquit , Qui est , misit me.* (*In Ps. 134.*) Et certè tantum amplitudinis , profunditatis , intelligentiæ , & significationis duabus iis syllabis continetur ; ut , si quidquid est hominum , atque Angelorum consilium iniissent , de idoneo responso interroganti Moyse reddendo , nunquam excogitare potuissent vocabulum æquè ponderosum , tamque mira emphasi gravidum. Quamvis enim nulla rerum creaturarum occurrat adeò vulgaris , ut verè non sit ,

quæ est; nullã tamen reperire est adeò eximiã, ut pro peculiari suã differentiã, & germano nomine habeat esse, quæ est: quem extraordinarium, novũque sensum præfert hïc illa appellatio, *Qui est, non ex significatione*, (ut bene animadvertit Cajetanus) *sed ex appropriatione*: nempe non quatenus de DEO merè affirmatur, sed quatenus affirmatur, tanquam ei singulariter, proprièque conveniens. *Sic enim sumpta plus innuit, quàm significet formaliter.* (In 1. p. qu. 13. a. 11.) Quare D. Hilarius profitetur, cùm in hunc Exodi locum incidisset, plusquam dici possit, illius emphasi, & novitate captum se esse. (L. I. de Trin.) *Admiratus sum planè tam absolutam de DEO significationem, quæ naturæ divinæ incomprehensibilem cognitionem aptissimo ad humanam intelligentiam sermone loqueretur. Non enim aliud proprium magis DEI, quàm Esse intelligitur.* Nec diversa fuit seu Bernardi Clarevallensis, seu Thomæ Aquinatis sententia. Quorum prior nihil ait præclari & eximii posse DEO attribui, quin magno hoc nomine contineatur. (L. 5. de Conf.) *Quid est DEUS? Non sanè occurrit melius, quàm, Qui est.* Hoc ipse de se voluit responderi. *Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de eo dixeris, in hoc verbo instauratur*

tur

tur, *Quod est, est. Nempe hoc est ei esse, quod hæc omnia esse. Si & centum talia addas, non recessisti ab esse. Si ea dixeris, nihil addidisti: si non dixeris, nihil minuísti.* Posterior autem professo studio demonstrat, nullum reperiri aliud nomen, quod spectata ratione significandi tam propriè DEO conveniat, tamque excellenter ineffabilem illius naturam declaret, quam nomen, *Qui est: utpote quod est maximè universale, & nullum modum essendi determinat, sed se habet indeterminatè ad omnes, & ideo nominat ipsum pelagus substantiæ infinitum.* (1. p. qu. 13. a. II.) Nam, cum nobis non liceat proprium illum, & singularem modum cognoscere, quo esse divinum ab aliis omnibus existendi modis distinguitur; quantò nostræ circa illum cognitiones minùs determinatæ sunt, magisque universales, & à peculiari qualibet existendi ratione, ac differentia remotæ, tantò etiam magis ei congruunt, majorémque illius repræsentandi vim habent. *Intellectus noster non potest ipsam DEI essentiam in statu viæ cognoscere, secundum quod in se est: sed quemcunque modum determinat circa id, quod de DEO intelligit; deficit à modo, quo DEUS in se est. Et ideo, quantò aliqua nomina sunt minùs determinata, & magis communia, & absoluta, tantò magis propriè dicuntur*

tur

tur de DEO. Quid plura? tantus est admirandi hujus nominis cum admirabili natura DEI nexus, ut ipsis quoque Ethnicis innotuerit. Quare in foribus templi Delphici inscripta legebatur, teste Plutarcho, (*De Inscr. Templ. Delph.*) syllaba *es*; tanquam documentum ingressuris veri nominis, quo DEUM compellare deberent, dicentes ei nimirum, *Tu es*. Et Dervifii Turcarum Mystæ, in suis tripudiantes profanis delubris, solent idendidem succinere *Hu*, quod perinde valet, atque *est*: quasi velint innuere, ceu Petrus à Valle (*L. 1. Lit. 2.*) testatur, uni DEO propriè verèque convenire, ut sit. Quin Plotinus eò processit, ut diceret, non modò nomen, *Qui est*, quovis alio congruentius naturæ DEI esse; sed nullum aliud, hoc excepto, ei posse congruere. (*En. 5. L. 5. c. 13.*) *Qui de DEO aliquid dicit, nec est contentus dicere, quod DEUS sit id, quod est; hic cuncta aufert, & nihil de DEO affirmat.* Sed quàm proprium, & peculiare DEI sit eximium hoc nomen, adhuc intelligi luculentius poterit, ex insita ei virtute repræsentandi absolutas omnes, de quibus hucusque egimus, divinæ essentiæ perfectiones: adeò ut nulla harum sit, quæ in illo non contineatur, illòque affirmato, non implicite simul ipsa affir-

me-

metur. Quam illius significandi vim, quemadmodum in hujus capitis titulo generatim proposui, ita nunc particulatim ostendere aggrediar.

2. Incipiendo itaque à primâ; quonam pacto attribui DE O potest, instar nominis proprii, quòd fit ille, *Qui est?* nempe quòd fit ipsum esse; quin significetur simul, non habere illum ab ulla causa, ut sit: sed esse primam, increatam, & universalem causam omnium, quæ sunt? nullo profus pacto, inquit D. Bonaventura. (*Itin. Ment. c. 5.*) *Quid enim est per se, si ipsum esse non est per se, nec à se?* Perinde quasi dicat. Quòd certum, & particulare aliquod esse producat ab alio, facile intelligi potest: cum extra certum & particulare quodvis esse aliud intelligi possit, quòd illius producendi vim habeat. At extra illum, *Qui est*, nempe extra ipsum esse, quidnam intelligetur, ipsum producendi vim habens, cum extra esse solùm intelligi nihilum queat? Et certè, si ille, cujus proprietas, & peculiaris nota est, esse, non haberet à se ipso, ut sit; à quonam alio id haberet? Num ab inferiore secundùm naturam? at superius ab inferiore produci omnino impossibile est; ergo à superiore, vel pari. At quodnam ante-

cel-

cellere, vel par esse naturâ illi queat, qui per antonomasiam, & singularem excellentiam ens nominatur? Cùm commune aliquod nomen certæ ac particulari personæ, quasi proprium assignatur, certò, & palàm innuitur, prædicti nominis significationem non vulgari, & communi cum aliis, sed singulari & extrema quadam ratione ei personæ convenire: nam alioqui id vocabulum non esset sufficiens illius nota, nec haberet vim nominis proprii ad eam unam ex omnibus aliis indicandam. Ideoque, cùm videmus, Oratoris Romani vocabulo, esto ad complures alios generatim pertinente; solum Ciceronem designari, non secus ac si proprio suo compelleretur nomine; & vocabulo Virginis, tametsi plurimis aliis communi, magnam DEI Matrem æquè ac peculiari suo Mariæ nomine exprimi, pro argumento id habemus singularis compertissimæque excellentiæ, qua & ille Romanos alios Oratores, & diversas hæc virgines supergreditur. Finge jam DEUM nequiquam esse primam omnium causam, nec à se ipso, sed aliunde habere, quòd fit; nã ille haudquaquam tunc cæteris rebus universis in existendi ratione antecelleret: sed ea princeps causa, à qua esset productus, excellentiori, quàm ipse ex-
iste-

isteret modo : eique proinde æquiore jure
conveniret dici per antonomasiam, *Qui est*.
Quid ergo aliud significat, talem appellatio-
nem illi, ceu propriam attribui ; nisi ipsum ex-
istere : non vulgari, & promiscuo reliquorum
entium modo, sed tanto præstantiori, ut so-
lus penè dici possit existere : ceu qui solus à
se ipso habet suum esse, & ex cujus participa-
tione cætera omnia accipiunt, ut sint ? Brevi-
ter, si, quod supra demonstravimus, necesse
est existere in mundo primum aliquod, & à
nemine procreatum rerum omnium princi-
pium, dubitari minimè potest, quin ipsum
excellentiore modo sit, quàm cætera omnia,
quæ per participationem ipsius sunt. Proin-
de, si cui entium convenire per antonomasi-
am potest nomen, *Qui est*, ipsi apprimè, imò
ipsi uni conveniet. Ergo neque dubitari po-
test, quin, dum nomen prædictum DEO tan-
quam proprium tribuitur ; perinde sit eum
vocari absolutè & præcisè, *Qui est* ; ac pri-
mum, nec, nisi per se existens, rerum omni-
um principium vocari. Quamobrem D. Hie-
ronymus, quærens, cur DEUS hoc sibi tan-
quam proprium vendicaverit nomen, quo
nullum cæteroqui est communius ; non aliam
rationem rei affert, nisi quòd solus est à se
ipso :

ipso : nihil ambigens , quin idem prorsus sit , ità existere ; & posse singulariter appellari , *Qui est* (In c. 3. Ep. ad Ephes.) Numquid solus DEUS erat , & cætera non erant ? Utiq; Angeli , & cælum , & terra , & ipse Moyses erant . Et quomodo nomen commune substantiæ sibi proprium vindicat DEUS ? Illà , ut diximus , causâ : quia cætera , ut sint , DEI sumpsere beneficio : DEUS autem , qui semper est , & ipse sui origo est , non potest intelligi aliunde habere , quod subsistit . Hæc ille : ad stipulatorem in hac sua interpretatione , ac sententia Philosophorum principem habens , apud quem principii certissimi loco est , illud in quovis genere præcipuè , magisque propriè tale esse , quod neque ab ullo habet , ut tale existat ; & omnibus aliis ità existendi causâ est . (L. 2. Metaph. textu 4.) Unumquodque id ipsum maximè est inter alia , per quod aliis participatio nominis est : ut putà ignis calidissimus , quia ex eo habent cætera , ut calida sint . Quapropter principia semper existentium necesse est , verissima esse . Non enim ipsa ut sint , aliquid aliud causa est , sed ipsa cæteris . Perinde itaque est dici , DEUM esse , *Qui est* ; ac significari unum ipsum à se , & cætera omnia ab ipso habere , quòd sint .

3. Nec minùs patenter eodem nomine , *Qui est* , indicatur divinæ existentiae necessitas :

tum

tum quia, quod ita est, ut possit etiam non esse; multum habet de natura accidentis, & quodvis accidens, iudice Aristotele, (L. 6. *Metaph. c. 2.*) *Videtur propinquum quiddam non enti*: quapropter vix potest dici revera esse, nedum mereatur in excellentiæ argumentum absolute vocitari, *Quod est*; tum quia, secundum interpretationem percelebris Rabbini Moyfis Majmonidis, idem valet hebraicè nomen, *Qui est*; ac nomen, *Qui existit*. Unde & ipse concludit, & cuivis in proclivi est concludere, non aliud esse, quòd DEUS ibi, tanquam nomine proprio, & eum à reliquis omnibus discriminante appelletur, *Qui existit*, quàm, si appellaretur, *Qui necessario existit*: cum nulli rei possit non necessario id convenire, quod unaquæque proprium ex natura sua habet, quoque à ceteris omnibus, tanquam speciali differentia, secernitur. Ut proinde, vocans se DEUS, quasi proprio sibi nomine, illum, qui existit; perinde faciat, ac si diceret, ego sum ille, cujus existendi actus nequaquam, ceu in rebus creatis ab existendi possibilitate distinguitur: sed unum prorsus atque idem cum hac est; ut, sicut omni tempore necessarium mihi est, posse existere; ita etiam omni tempore necesse sit, verè ac re

H h

ipfa

ipsa me existere: *Existens, qui est existens: quasi diceret, qui necessario existit.* (L. 1. more Neb. c. 63.)

4. Æternitas quoque, nemo non videt, quàm perspicuè hoc nomine contineatur: cum nequeat illud propriè Deo convenire, quin quovis tempore eidem conveniat, æternúmque idcirco, & immotam in eo durationem significet. Nam sicut ex eo, quod homini propriè convenit, rationis participem esse, consequitur, nullum in tota æternitate assignari posse momentum, in quo is verè dici rationis particeps nequeat; ità ex eo, quòd propriè DEO conveniat nomen, *Qui est;* sequitur, nullum esse vel præteritæ, vel futuræ æternitatis momentum, in quo non verissimè appelletur, *Qui est;* sed semper sub hac specie, & sub hoc nomine illum nobis occurrere: semper ex anteriori parte, *Qui est,* & ideo principii nescium: semper ex posteriori, *Qui est,* ac proinde finis expertem: semper in summa, *Qui est,* ideoque nil habentem futuri, aut præteriti, sed in unico, sempiterno, & nunquam non eodem *præsenti* immobiliter fixum. Atque hinc factum est, ut SS. Patres communiter per nomen, *Qui est,* à DEO sibi propriè vindicatum, æternum & immobile illius ævum exprimi sentiant. Ita

Ità sentit D. Augustinus, neminem affirmans posse dici, *Qui est*, nisi qui sempiternum esse habeat: (In Ps. 121.) *Quid est, quod est? quod æternum est: & alibi, (De vera Rel. c. 49.) Æternitas tantummodo est: nec fuit, quasi jam non sit: nec erit, quasi adhuc non sit. Quare ipsa sola dicere potuit: Ego sum, qui sum.* Ità D. Hilarius, agnoscens in illo *est* durationem nunquam ceptam, nunquam desituram, proin DEI propriam. (L. I, de Trin.) *Non aliud magis proprium DEO, quàm esse intelligitur. Quia id ipsum, quod est, neque desinentis est aliquando, neque cepti. Et, cum in nullo à se DEI æternitas desit; dignè hoc solùm, quod esset, ad protestationem incorruptæ suæ æternitatis ostendit.* Ità D. Hieronymus, docens, hinc DEUM à creatis rebus distingui, quòd harum ævum, utpote continenter labile, ac penè totum ex præterito, futuròque constans, vix possit dici esse: At verò DEUS, æternitatis suæ causa, (Epist. 136.) *esse tantùm novit, fuisse, & futurum esse non novit.* Ità D. Bernardus: quo teste, sicut DEI unius proprium est, esse æternum, sic uni ipsi convenit permanere semper in præsentem *est*: at è contrario, (Serm. 31. in Cant.) *Quidquid ex eo, quod fuit, non cessat tendere in id, quod erit, transitum habet certè per est, sed omnino non est.*

Neque aliter fanè memorata Exodi verba explicare potuissent Plato, & Plutarchus, cum utriusque unanimis sententia sit, à nemine verum esse haberi posse, qui illud æternum non habeat. (*Plat. in Tim. Plut. de Inscr. Templ Delph.*) Quid igitur (en posterioris verba) illud est, quod revera est? Id utique unum, quod sempiternum; certus atque interitus expers, cui nullus à tempore motus infertur. Ex concordia itaque tam profanorum, quam sacrorum sapientum sensu, idem valet, quòd Dominus dixerit: *Ego sum, qui sum*; ac si dixisset, *ego sum, cujus ævum nunquam aut cœpit, aut deficiet, aut mutari potest, sed totum infinito, & semper eodem presenti, sempiterno, & immobili est continetur.*

5. Quid porro de infinitate dicemus? meliusne illam exprimere DEUS poterat, quam proprii nominis loco sibi *esse* attribuens, non hoc quidem, aut illud certi alicujus generis, & peculiaribus differentiis septum, sed per totam, cujus capax est, latitudinem undique diffusum? esse quatenus purè tale, perfectà exclusio nihili est, omnisque ideo mali, & defectus, quæ nihilum exprimunt, exclusio. Quod si creatum esse multà nihili, & mali portione videmus permistum; indè id profici-

eiscitur, quia neutiquam purum, plenumque,
 & totum esse illud est: sed sicut ab his, vel iis
 differentiis intrà peculiare aliquod genus con-
 cluditur; ita non potest, nisi peculiare ali-
 quod mali genus, **excludere**. Cæterum, si
 in quapiam substantia nihil determinationum
 talium, sed non nisi absolutum, purumque
 esse reperiretur; nemo non videt, totum ibi
 esse, omnimodamque totius nihili exclusio-
 nem repertum iri. *Quia ipsum Esse purissimum*
 (ut D. Bonaventura ait) non occurrit, nisi in
 plena fuga non esse, sicut & nihil in plena fuga es-
 se. Sicut igitur omnino nihil, nihil habet de esse;
 sic è contra ipsum esse, nihil habet de non esse, nec
 actu, nec potentiâ, nec secundum veritatem rei,
 nec secundum æstimationem nostram. (Itin. Ment.
 c. 5.) At verò prorsus tale, ita purum, nec
 usquam determinatum, plenumque, & usque-
 quaque integrum est illud esse, quod DEUS
 sibi assumit, assumendo nomen, *Qui est*. Ob-
 servate, quæso, num in nomine tali quidquam
 repræsentetur diversum à puro esse, quodque
 amplitudinem illius intrà certam speciem, ac
 mensuram coërceat. Sed quid, præter me-
 rum esse, & hoc finè ulla generis, speciei, qua-
 litatis, ac magnitudinis determinatione repræ-
 sentari potest à nudo, & simplicissimo est? Ad-

dite nominatim illi est, quidquid potest mens vestra præclari & eximii concipere; nihil ei addideritis, quod amplissima illius significatione non contineatur. Dividite illud in quotcunque perfectionum species excogitare vobis fas est; nunquam tot earum excogitabitis, quin plures in eo semper supersint. Genus generum omnium est, inquit Seneca, *supra se nihil habet. Initium rerum est. Omnia sub illo sunt.* (Ep. 58.) Quia nihil certum, & peculiare exprimit, quia nihil determinati spectandum exhibet; ideo secundum Cajetani animadversionem, (In 1. p. qu. 13. a. 11.) *Infinitis determinationibus determinari potest, & infinites infinitos essendi modos comprehendit.* O est! quanto dictu brevius, tanto cogitatu amplius. O syllaba, quæ totum complectitur, quæ infinitatem adæquat, intrâ quam nihil deest, extra quam nihil superest. O nomen! in summa dignissimum, quod DEUS, tanquam proprium sibi attribueret, cognoscendam eo nobis daturus, quantum cognosci à mortalibus potest, incomprehensibilis suæ naturæ præstantiam. Qui infinitum essentiae pelagus est, nullum, teste D. Joanne Damasceno, potest accommodatius sibi nomen nancisci, quam purum, solumque esse. *Inter omnes DEI nomen-*
cla-

claturas nulla est magis propria, quam ista, Qui est: èd quòd DEUS nullam non essentiam in se complectatur, tanquam vastum quoddam, & immensum essentia pelagus. (L. I. de Fide c. 12.)

6. Succedit simplicitas, omnem à se numerum partium, & quodcunque compositionis genus excludens. Et, ò quàm præclare ipsa quoque in eo nomine elucet, quàmque manifestè colligendum ex eodem nobis relinquit, nihil in DEO esse, quod ipsamet DEI essentia non sit? Cùm enim nihil aliud sit esse, quàm bonum; dum affirmatur de DEO esse, neque hujus quidem, aut illius speciei esse, sed esse ab omnibus differentiis abstractum, & secundùm totam significationem sui generis sumptum; nihil aliud hoc est, quàm bonum de illo affirmare, neque ipsum quoque ad certam speciem contractum, sed omnino universale, & quantumcunque intelligi potest. Quid ergo hinc consequitur? consequitur utique, à nullo ipsum, ex bonis, quibus affluit, distingui, sed idem prorsus tam cum unoquoque, quàm cum universo eorum cumulo esse. Nam alioqui neutiquam dici pisset, quòd sit universum esse, atque bonum, sed quòd illud solummodo intrà se habeat. Dum ergo dicitur, non quidem habere, sed esse

esse omne bonum; tantundem prorsus id valet, quantum si diceretur, nullum ex infinitis suis bonis, distinctæ instar formæ, aut rei ab illo obtineri, sed omnia unum aliquid, & omnino idem cum essentia illius esse. Consequens rite observatum à D. Bonaventura, qui ait, DEum cuilibet ipsum consideranti sub nomine & specie puri esse, (*Itin. Ment. c. 5.*) *Occurrere, ut nullo modo in se habentem, nisi quod est ipsum esse, ac per hoc cum nullo compositum.* Observatum à Severino Boëtio, dum scripsit; (*L. I. de Trin.*) *Quod non est hoc, atque hoc, sed est tantum hoc; illud verè est id, quod est.* Observatum denique à sanctis Bernardo, atque Anselmo: videre est & in his primi verbis, (*L. 5. de Conf.*) *DEUS est, qui est, non quæ est;* & in illis alterius, *Tu solus Domine es, quod es, & tu es, qui es. Nam, quod aliud est in toto, aliud in partibus, non omnino est, quod est.* (*Prosol. 22.*)

7. Superest demum expressam in eisdem nominis significatione omnimodam DEI immutabilitatem agnoscere. Quam ad rem Plato, & D. Augustinus splendidissimam nobis doctrinæ suæ præferunt facem. Cum & secundum illius principia, (*In Tim.*) non aliud sit verè esse, quàm immutabiliter esse; hic

hic verò jam universè affirmet, (Tr. 4. in Ep. Joa.) *Quod verè est incommutabile esse*; jam generale hoc effatum DEO nominatim accommodet, scribens, (L. 7. de Trin.) *illum verè solum esse, quia incommutabilis est.* Neque deest planissima ratio, quæ utriusque auctoritatem suo suffragio confirmet. Nam, quod mutatur, veriùs est *in fieri*, ut Philosophi loquuntur, & in motu ad esse, quàm in firma ipsius possessione, quæ propriè significatur à præsentibus. Præterquam quod substantia mutabilis nequaquam unum ens propriè dici potest, sed variorum entium congeries: atque idcirco, secundùm citata paulò antè D. Bernardi verba, non tam est, quod est; quàm est, quæ est. Idque Plutarchus non obscurè animadvertit: indè tanquam ex principio certissimo arguens, verum esse nemini, nisi DEO convenire. *Revera enim nos essentiæ nequaquam participes sumus. Nullus enim manet, neque est unus, sed nascimur multi.* Nam, qui mutatur, idem non est: & si idem non est; nè est quidem, sed alius ex alio mutationibus factus. DEUS autem non multa est, sed unum: non ut unusquisque nostrum congeries ex infinitis, diversissimisque affectionibus variè commista. Sed unum oportet esse id, quod est. Quam unitatem per ipsum Dei Delphici, hoc est A-

pollinis, nomen exprimi addit, nomen nimirum, multitudinem apud Græcos excludens. *Apollo enim dicitur, quòd unicus sit, voce multitudinis negationem arguente.* (De Inscr. Templ. Delph.)

8. En igitur, quot & quàm singulares DEI prærogativas nobis innuat, atque in memoriam revocet admirandum hoc nomen, *Qui est.* Innuit primò, cum habere, quòd sit, haudquaquam vulgari, & communi rebus ceteris modo, per participationem alterius, sed excellentiori multò ratione, quæque convenire nequeunt, nisi primo, & increato omnium entium principio. Innuit deinde, nihilo minùs necessarium illi esse existendi actum, quàm necessaria existendi possibilitas sit: adeò ut ceu nullo tempore hac potest; sic neque illo unquam possit carere; quippe in quo utrumque idem est. Innuit ad hæc, illius ævum, omnis principii, & finis, & motus expers, non nisi unico, æternòque est, totum constare. Innuit præterea, convenire illi, ut sit ipsum purum esse, nullis differentiis contractum, sed per maximam effusum, cuius capax est, amplitudinem: scilicet totum esse, à quovis nihilo, & defectu se junctum, nullaque non ex parte infinitè perfectum. In-

nu-

nuit pariter, infinitam hanc illius perfectio-
nem non haberi ab ipso ceu formam, vel con-
geriem formarum sibi superadditam, sed esse
unum, & omnino idem cum simplicissima
ejus essentia. Innuit denique nullum mutati-
oni in eo locum esse, nec fieri ullo modo pos-
se, ut alius unquam sit, quàm, qui necessariò,
ac semper fuit, ens nimirum usquequaque
perfectum, & quo nihil excogitari queat me-
lius. Unde manifestè apparet, quàm fecun-
da & locuples significatio hujus nominis sit:
quantùmque de divinis perfectionibus uni-
cuique reperire liceat, qui attenta meditatio-
ne altissimos sensus in duabus his syllabis, *Qui
est*, tanquam in cælesti quadam aurifodina,
scrutari velit.

9. Quæ meditatio, ut materiæ plus habe-
at, non prætermittendam censeo egregiam
DEUM contemplandi rationem, prout nihi-
lo is maximè opponitur, ab Antonio Glielmi
propositam in suo tam pio, tam ingenioso, *de
sanctissimæ Trinitatis Magnalibus*, libro. Quem-
admodum, ille inquit, (*Serm. 29.*) existere
in mundo res creatas videmus, quæ aliquid de
esse, & aliquid de nihilo in natura sua habe-
ant; sic ex utraque earum parte duo possu-
mus extrema concipere, prorsus simplicia,
&

& inter se omnino contraria: nempe hinc DEUM, qui est purum, totumque esse; inde verò purum nihil, quod est absolutissima totius esse negatio. Age itaque, duo hæc extrema, DEUM scilicet, purumque nihil, ex adverso composita intueamur. Cùm enim sibi in omnibus adversentur, ex singulis posterioris defectibus, contrarias prioris prerogativas legitima, perque facili consecutione licebit eruere. En rei praxim breviter, perque summa hinc inde capita expositam. Purum nihil, non modò non est, sed neque esse potest: ergo purum esse, nimirum DEUS, utpote ipsi omnimodè repugnans, non modò est, sed neque potest non esse. Nihilum, non modò non existit hodie, sed neque ullo tempore extitit, aut extitutum est: ergo DEUM necesse est, semper extitisse, ac semper existere. Nihilum omnem perfectionem à se excludit: ergo DEUS omnem perfectionem in se debet complecti. Nihilum, quamvis infinitas omnes, quæ concipi possunt, perfectiones neget; non tamen est infinita negationum invicem distinctarum congeries, sed unica & simplex negatio, puri nihili nomine expressa: ergo DEUS, quamvis omnium possibilium bonorum infinitatem in sua essentia contineat;

at; non tamen est aliquid ex pluribus bonis conflatum, sed unum duntaxat, & simplicissimum bonum. Nihilò neque addi ulla negatio boni potest, cum omnes universim significet; neque ulla detrahi, nam alioqui esse purum nihil desineret: ergo DEO nullum esse, nullaque boni particula vel accedere, vel decedere potest: nam alioqui non esset, quale necessariò est, purum esse, atque bonum, plenissima scilicet totius esse, ac boni complexio. Purum nihil nusquam sive est, sive esse potest: ergo ex opposita ratione nullus esse locus potest, ubi DEUS præsens non adsit. Denique purum nihil, ceu quovis esse, ac bono caret, sic nihil operari potest, seu in se ipso per actus vitales, & naturæ suæ congruentes; sive extra se per productionem effectuum aliis utilium: Ergo secundum contrariorum regulam, sequitur, DEUM esse perfectissimum agendi principium, excellentissimam vitam, & virtutem, nullis non producendis effectibus possibilibus parem.

10. Talis prædicti scriptoris ratiocinatio est. Unde & ex reliqua omni hujus capituli doctrina duo colligere licet. Primum, quàm in promptu cuivis non plumbeæ mentis homini sit, quod in libro Sapientiæ scribitur, (c. 13.)

13.) De his , quæ videntur bona , intelligere eum , qui est , nimirum ex limitato , & defectuoso rerum conditarum esse , ad purissimi , & infiniti illius esse , quod unum propriè est , intellectu confurgere. Præsertim verò , cum hoc nomen ens , quod assiduè in mente , atque ore habemus , juxta D. Thomæ sententiam , (1. p. qu. 13. a. 5.) analogum sit : nempe ex eorum nominum genere , quæ multis quidem tribuuntur , sed ità , ut primitus , ac præcipuo jure uni conveniant , de quæ aliis eatenus solummodo affirmantur , quatenus hæc cum eo uno nexum aliquem proportionis , vel similitudinis habent : à cujus significato nequit prædictorum nominum significatio sejungi : sed necesse est , ut illud tacitè indicent , ac menti offerant , quando de aliis minùs propriis , & secundariis suis objectis dicuntur. Quapropter , ceu qui graminum viriditatem pratorum risum metaphoricè nuncupari audit ; fieri non potest , quin aliquam tunc humani risûs speciem mente concipiat , utpote rei , quæ una primò , ac per sese ità appellatur , & cujus non nisi imago quædam pratorum risus est ; non aliter , qui rem aliquam esse audit , vel dicit , non potest , modò vim verbi *est* rite calleat : illius quasi admonitu in DEI memori-

am ,

am, cogitationémque non adduci, tanquam primi & summi entis, quique unus propriè, ac per antonomasiam esse dicitur.

II. Alterum, quod ex dictis colligendum occurrit, mirus est in plerisque hominibus stupor: qui, licèt nè ipsam quidem rerum creatarum existentiam possint vel loquendo enuntiare, vel auditu, & cogitatione percipere, quin ad DEI considerationem indè excitentur; vix tamen unquam summi illius esse reminiscantur, quod ab alio quovis esse sibi continenter obtruditur: simili prorsus ratione, (D. Bonaventura inquit) atque oculorum acies, corporibus, & coloribus spectandis intenta lucem, quæ princeps objectum suum est, quàmque simul cum cæteris rebus omnibus videt, & sinè qua nihil videre potest, vix sensu tenuissimo advertit. *Mira igitur (libet ejusdem sancti Doctoris verbis rem concludere) est cæcitas nostri intellectûs, qui non considerat illud, quod priùs videt, & sinè quo nihil potest cognoscere: sed, velut oculus, intentus in varias colorum differentias, lucem, per quam videt cætera, non videt: & si videt, non tamen advertit; sic oculus mentis nostræ, intentus in ista entia particularia, & universalia, ipsum esse, extra omne genus, & si primò menti occurrat, & per ipsum*
alia

alia tamen non advertit. Imo, velut oculus, quando videt puram lucem, videtur sibi nihil videre; sic & ille assuefactus ad phantasmata sensibilia, cum ipsam lucem summi Esse intuetur, indiscreto illo, & à quavis peculiari specie junctissimo visu minimè expletur, perinde quasi nihil ibi cerneret: non intelligens, quòd ea ipsa caligo summa est mentis nostræ illuminatio: Nihil enim indistinctâ illâ summi & puri esse intelligentiâ concipi unquam potest à nostra mente sublimius, quòdque ipsam magis perficiat. (Itin. Ment. c. 5.)

12. Quemadmodum porrò DEUS à singulari præstantia sui esse habet, ut tot de causis, quot supra memoratæ illius perfectiones sunt, mereatur nominari, *Qui est*; sic è contrario nostri esse imperfectio totidem unicuique nostrum causas suppeditat, cur debeat potius, *qui non est*, quàm *qui est*, nuncupari. Libeat id breviter intueri, tum ad justæ humilitatis sensus in animis nostris excitandos; tum etiam, ut ex minimo, vel nullo jure, quod ad nomen entis creatæ res habent, luculentius appareat, quàm singulari illud ratione supremo totius esse Authori debeat. Primum caput, unde nos dicendi simus, non esse verius, quàm esse, impotentia est existendi, nisi
per

per alienam virtutem, cum nemo nostrum
 suæ sibi existentia sit author, sed eam & alie-
 no munere primum acceperit; nec sine alte-
 rius arbitrio retinere vel ad momentum queat.
 Quapropter, si omnia magis propriè dicun-
 tur esse id, quod per se sunt; quam, quod per
 operationem alterius, ceu quilibet nostrum
 merum nihil per se est, nec nisi ab alio habet,
 ut sit; sic nihili nomen potius meretur, quam
 entis. Et confirmatur adhuc magis hæc ra-
 tio. Cum enim nemo appellari possit seu
 egregius scriptor, ob scripturam non ab ipso,
 sed ab alio elucubratam; sive dives, ob pecu-
 niam non suam; quonam pacto ulla ex rebus
 creatis ens poterit dici, propter esse non su-
 um, utpote nec ab ipsa conditum, nec suo,
 sed alterius dominio subiectum? Accedit ad
 hoc primum caput, nostra nunquam existen-
 di possibilitas: quæ, sicuti nihil nobis tribu-
 it juris, cur in statu potius rerum existentium,
 quam in merè possibilium simus; sic palam
 facit, nihil nos à natura meriti habere, ut di-
 camur esse potius, quam non esse: vel saltè
 evincit, unumquemque nostrum existere in
 mundo, ritu accidentis, quod ab Aristotele
 appellatur *propinquum quiddam non enti*. Ac-
 cedit insuper, quod nostri ævi cursus, cum

non nisi certo tempore initium sumpserit, vix paucos existentiae annos habeat, quos solidae praecedentis sui nihili aeternitati opponat: cumque ex momentis componatur, perpetuo fluxu aliis post alia dilabentibus, totum idcirco inter *fuit*, interque *erit*, dividitur, ut ne ad punctum quidem temporis in *firmitate* permaneat; ac proinde, ceu supra cum D. Bernardo affirmavimus, *Transitum certe habet per est, sed omnino non est. Nam quomodo est, quod nunquam in eodem statu permanet?* Accedit praeterea, quod omne esse creatum, cum certis terminetur limitibus, tantaeque, & non ulterioris magnitudinis sit; finitae perfectioni, quae praeditum a natura est, infinitarum, quae ipsi defunt, perfectionum defectum conjungit: quod si igitur a potiore parte ducenda rerum denominatio est, uti infinite plus de nihilo & defectu, quam de esse habet; ita meretur nihilum potius, quam ens nuncupari. Accedit illud quoque, quod nostrum esse, cum nequaquam unum, & simplex sit; quot partes & formas inter se distinctas complectitur; tot quodammodo speciebus nihili constat. Unaquaque enim praedictarum partium, uti finitum quid est, ita ex modo dictis, infinite plus de non esse, quam de esse habet, congruentiusque fert
ni-

nihili nomen, quàm entis. Unde sequitur, ut, qui (si finita, sed tamen simplex natura nostra esset) non nisi unum nihil possemus vocari; tam multiplex nihilum appellandi nunc sumus, quàm multis ex partibus, atque formis componimur. Præterquam quòd nemini dubium videtur, quin, quanta & qualis cujusque rei unitas est, tantum etiam sit, & tale illius esse: ut proinde, quantum à perfecta unitate absumus, tantum quoque à perfecta entis ratione distemus. Accedit postremò mutabilitas, quæ neque à nostro esse creato separari potest, neque cum proprio & vero esse conjungi: cum rebus sibi obnoxiiis firmam sui esse possessionem eripiat, neque patiatur, ut sint eadem, quæ fuerant: communi propterea sapientum judicio, inter adulterini, & fictitii esse notas rejecta: quorum & plura superius testimonia retulimus; & duo insuper coronidis locò attexere hinc juvat: alterum D. Hieronymi scribentis, (Ep. 136.) *Quæ commutabilia sunt, quasi non sunt*: Alterum D. Augustini, idem, sinè *Quasi*, affirmantis, ubi ait, *Quod semper aliter, atque aliter est, non est.* (In Ps. 121.)

13. Cum itaque in quovis ente creato prædicta sex vitia conveniant, singula seorsum

sufficientia, ut nihilo potius, quàm vero enti
 simile efficiatur, parum jam erit, DEUM cum
 Moysè, & Sapiente, (Ex. 3. Sap. 13.) appella-
 re, *Qui est*; sed novo insuper, & splendidio-
 ri vocabulo, eum, *qui unicè est*, nuncupare
 debemus, profitentes illi, cum Anna Samu-
 elis matre, (L. 1. Reg. c. 2.) *Non est alius ex-
 tra te*; & cum Jobo, (c. 23.) *Ipsè solus est*. Per-
 inde quasi creaturarum universitas rerum peni-
 tús coram ipso evanescat, aut tenue illud, quod
 prius præferebat, essentiæ vestigium illio
 amittens, quo pacto soli oppositus deficit, nec
 videri magis potest, quàm si extinctus omni-
 no esset, siderum fulgor: ac propterea, ceu
 sol in meridie dici potest solus lucere, sic &
 multò magis dici DEUS possit, solus revera
 existere, & totum in se uno esse complecti.
 Quam illius prærogativam probè animadver-
 vertit, expressitque Isaias, dicens, (c. 40.)
*Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo:
 & quasi nihilum, & inane reputatæ sunt ei*. Idem
 hic ergo, quod & in aliis quibusque perfecti-
 onibus DEI accidit. Nam, uti nullam est in-
 venire adeò præstantem scientiam, quæ divi-
 næ comparata nequeat mera inscitia vocari,
 vel insignem adeò potentiam, quæ coram di-
 vina sumæ imbecillitatis speciem non præfere-
 rat;

rat; sic neque ullum potest tam eximium, perfectumque esse animo concipi, quod præ infinito DEI esse plus, quàm purum putum nihil æstimationis, pretiique habeat. Ab ipso est, inquit D. Gregorius: quidquid habemus, quidquid sumus, & coram ipso instar nihili est, quidquid vel habemus, vel sumus. (L. 18. Mor. c. 27.) *Huic si conjungimur, sumus, vivimus, sapimus. Huic si comparamur, nec sapimus, nec vivimus omnino, nec sumus.* Quam ad rem uberius declarandam commodè facit illa D. Thomæ sententia: (1. p. qu. 50. a. 1. ad 1.) *Medium comparatum ad unum extremum, videri alterum extremum.* Nimirum rem quamlibet, quæ ita in medio duorum contrariorum jacet, ut neutrum ex iis, sed utriusque particeps sit, si eum eorum uno conferatur: videri jam ex medio discedere, & ad alterum contrarium pertinere. Exemplo sit corpus tepidum, quod, cum neque absolutè calidum, neque absolutè frigidum, sed aliquid in medio horum sit. si eum re calida comparetur; non jam, uti prius, caloris æquè, ac frigoris particeps, sed merè ac penitè frigus apparet: quemadmodum è contrario cum frigida re compositum, è medio tepidi statu in calidi naturam, atque speciem videtur transisse. Jam verò res creatæ

nec purum esse, nec purum nihil sunt, sed
quid inter duo hæc extrema medium, &
utroque conflatum. Quapropter, si eas cum
puro puro nihilo comparemus, non nisi me-
ram speciem entis præferunt. At, si cum
puro puro esse, DEO nimirum, componatur,
à medio illicet statu ad extremum opposi-
tum transeunt, neque jam ex nihilo, atque ex
se compositæ, sed merum prorsus nihil videntur,
& sic sunt, quasi non sint. Concludamus
igitur cum D. Bernardo, DEUM tum pro-
pter infinitam supremi sui esse præstantiam
tum quia quodcunque aliud esse, perfectionem
multò ratione intrà se continet, plenissimum
jus obtinere, ut non modò, qui præcipuè est
verum etiam ut, qui unicè est, appelletur.
(L. 5. de Cons.) Ipse sibi, ipse omnibus est: ac pro
hoc quodammodo solus est ipse, qui suum ipsius esse
& omnium esse: Certumque è contrario, &
indubitanter stabilitum maneat, nostrum esse
ut ex nihilo productum, & nihilitatibus circumdata-
tum, & ad nihilum tendens, (Alb. Magn. de Al-
bær. Deo c. 9.) vix posse aliud, quàm meram
entis imaginem dici, quo illud nomine Regi-
us Vates expressit, dum caneret, (Ps. 38.) Ve-
rum tamen in imagine pertransit homo: nec quam-
vis imaginem, sed imperfectissimam, & ma-
xi-

ximè inanem, qualis est umbra, cui à Jobo assimilatur iis verbis, (c. 14.) *Et fugit velut umbra*: dignum proinde, ceu modò citatus Clavallensis Doctor adjungit, quod præ suo æterno exemplari, nimirum infinito DEI esse, censeatur, *potius non esse, quàm esse.*

14. Perpenso hæctenus absoluti entis nomini nihil addi potest magis singulare, & eximium, quòdque luculentiori energiâ incomprehensibilem DEI naturam repræsentet; digna nihilominus ei adjungi videntur duo alia, & soli DEO congruentia, & significationis exaggeratissimæ nomina, *bonum* nempe, atque *totum*, vel *omne*. Et primum quidem ad eò unius DEI proprium est; ut neque in significatione adjectiva ulli, præter ipsum absolutè conveniat, juxta illud divini Verbi effatum. (Luc. 18.) *Nemo bonus, nisi solus DEUS.* Abstractum verò, & per se subsistens, & à D. Augustino, ut suprà indicavimus, peculiari cum approbatione DEO tribuitur, & à D. Dionysio Areopagita, quamquam ineffabili exprimendo haud satis, vel ipsum sufficiens, inter omnia tamen illius nomina maximè venerandum vocatur. (De Div. Nom. c. 13.) *Quin nec ipsum bonitatis nomen ei tanquam aptum ac commodamus: sed desiderio aliquid intelligendi, & di-*

cendi de arcana illa, & ineffabili natura, quod est omnium nominum maximè venerabile, ipsi primum consecramus. Sed Trismegistus præ cæteris de hac nomenclatura DEO uni vendicanda laborat, sic scribens: (Pim. c. 2.) DEUS unicus ipsum bonum est, neque aliud quidquam, præter bonum. Reliqua omnia ab ipsa boni natura secreta sunt. Cave igitur, nè quando dixeris aliud quidquam bonum. Profanus enim hic foret error. Neque etiam dixeris, DEUM aliud quiddam præter solum bonum. In eandem quippe impietatem incideres. Una enim DEI natura est ipsum scilicet bonum. Quæ effatus, indè colligit, nomen prædictum, esto in sermone hominum frequentissimum sit, non ab omnibus tamen, qui illud usurpant, satis intelligi: & hanc esse causam, cur neque DEUM omnes intelligant. Si enim compertum rite haberent, quid dicant, dum bonum enuntiant; DEUM utique ignorare non possent, qui, quasi unicum, princeps, propriumque objectum, significatu illius nominis continetur. Sermone igitur ab omnibus bonum pronuntiatur. Quid tamen sit, ab omnibus non intelligitur. Idcirco DEUS ab omnibus non cognoscitur. Et alibi, ad ejusdem confirmationem doctrinæ, ideo neminem extra DEUM nuncupari bonum posse, addit, quia, quæ

quæ in nobis videtur esse bonitas, nihil sit aliud, quàm minor mali mensura: (*Ib. c. 6.*) Id quippe, quod non nimis malum, quòdque minus malum, bonum in hominibus appellamus. Quò fit, ut bonum nostrum nihil aliud, quàm mali portio minima sit. Quare solum boni nomen homini adest, & Asclepi! natura boni nequaquam: gratias ad extremum Deo agens, de sibi impertita hujusmodi veritatis notitia. Et quidem DEO ingentes gratias habeo, qui, de natura boni cogitanti, mihi sententiam hanc certam infudit.

15. Alterum nomen, quod *totum*, vel *omne*, vel *omnia* esse dixi, ab eodem Trismegisto indicatur tum in Hymno suo sacro, ubi DEUM vocat, (*Pim. c. 13.*) *Unum & Omne*; tum in Asclepii capite octavo, ubi nullam peculiare nomen tametsi ex multis, variisque conflatum nominibus, idoneum esse ait DEO dignè exprimendo: ac proinde vel omnium rerum attribuenda illi esse nomina; vel si unum & simplex illius nomen quærat; nullum excogitari posse aptius, nomine collectivo, *omnia*. Non enim spero rerum omnium Patrem uno posse, quanquam è multis composito, nomine nuncupari. Necesse autem est (siquidem is sit unus, & omnia sit) aut *omnia* esse ipseus nomen; aut ipsum omnium nominibus nuncupari. Neque

folus ille extitit, qui hoc DEUM insigniret, tam appposito, ad exprimendam illius magnitudinem, nomine. Testatur siquidem Eugebinus, usitatum apud priscos sapientes fuisse, ut, DEUM significaturi, vocabulo Pan uteremur, (L. 3. de Peren. Phil. c. 8.) quod Græcè idem valet, atque *omne*. Unde etiam de Christi Domini morte accipi fors possent voces illæ, *Magnus Pan mortuus est*: quas refert Plutarchus, imperante Tiberio, auditas à compluribus per noctem fuisse: tam vulgatâ & indubiâ miraculi famâ, ut ipsemet Tiberius Cæsar studiosè inquire curaverit, quisnam ille Magnus Pan esset, cujus mors tam insigni nuntiabatur prodigio. (De Orac. Delph.)

16. En tibi igitur, pie Lector, tria ob singularem significationis præstantiam, DEO aptissima nomina, *esse, bonum, & omne*: quæ, ubi sedulò ruminata, & altè introspecta à te fuerint, eximiam incomprehensibilis naturæ illius speciem menti tuæ imprimant. Quare posteaquam in arcanis singulorum sensibus perscrutandis, eruendisque, quantum sat est, operæ atque studii posueris; jam unum, jam aliud revocare in memoriam curabis: assiduè præ oculis habens, & quo par est, admirationis, reverentiæ, amorisque sensu intuens
in-

infinite illud *esse*, integerrimum illud *bo-*
num, plenissimumque illud *omne*, à quo, &
cujus gratiâ est, quidquid est, ultra quod ni-
hil concipi potest, quòdque unum per se ama-
ri, unum admiratori esse, unum haberi in ho-
nore ac pretio meretur. Si verò interrogas,
quodnam ex commemoratis nominibus præ-
cipuam divinæ naturæ exprimendæ vim ha-
beat; respondeo, nihil ab eorum ullo signi-
ficari, quod reliqua item duo non significant.
Nam prima duo, nimirum *esse*, atque *bonum*,
re ipsa unum quid sunt: eadèmq; universè,
ac finè ullis peculiaribus differentiis concepta
omne esse, atque bonum significant, quæ ex-
pressa tertiæ significatio est. Quod tamen ad
significandi rationem spectat; primum cen-
seo aliis præhabendum: tum quia ipsemet
DEUS illud sibi specialiter adoptavit; tum
quia ex duobus reliquis, *omne* non eam per-
fectæ unitatis speciem præfert, ut imperfe-
ctionem partium inter se distinctarum forma-
liter à conceptu suo excludat; *bonum* verò, ju-
xta Angelici Doctoris sententiam, nequaquam
prima est rerum notio, sed ab earum esse pro-
fluit. Quia secundùm hoc unumquodque cogno-
scibile est, in quantum est actu. Unde ens est
primum intelligibile, & secundùm rationem prius,
quàm bonum. (I. p. qu. 5. a. 2.)

CA-